

enim non omnes apud veteres Heroïdes, sed solæ Illustrissimæ, Augustæ nimirum a); neque ex his omnes b) solenniores istos & plus quam divinos fere  $\delta\iota\omicron\upsilon\tau\omicron\upsilon\sigma\epsilon\omega\varsigma$  honores consequerentur? Plurimas tamen Heroïdes pro Deabus cultas fuisse ex antiquis monumentis discimus. Quod enim Dearum nuncupationem concernit Carthago Didonem, Babylonia Semiramidem, Phasis Medæam, Memphis Arsinoen, Sparta Helenam, Athenæ Erigonam, Roma Accam Laurentiam & nostra Germania olim Hertham Deam suam nuncupavit & coluit. c) Non tamen inficiamur, adeo fervidam virtutis & meritorum apud veteres fuisse venerationem, ut licet  $\alpha\upsilon\tau\omicron\chi\epsilon\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$  Dido, adulterii Semiramis, veneficii & filiorum cædis Medæa, concubitus cum genero & veneficii itidem vitio Arsinoe, aliisque vitiis aliæ d) se se contaminaverant: nihilominus tamen ob animi magnitudinem, urbium ædificationes aliasque res inclyte gestas, & Heroïci animi testimonia divinos iis veteres honores constituerint.

§. IX. Confirmant ulterius divinam hanc Heroïnarum venerationem tot ararum & templorum, quæ iis fiebant, consecrationes. Non repetemus jam ex *Spanhemio* e) *Menckenio* f) aliisque, quæ Augustis consecratæ fuerunt, ararum & templorum Historiam. Heic enim templa memoranda essent, quibus vel  $\text{ÆTERNITAS AUG.}$  vel  $\text{ÆTERNITAS AUGUSTÆ CUSTOS}$ , vel  $\text{ÆDIS DEDICATIO}$  vel ipsum denique inscriptum erat vocabulum  $\Sigma\text{ΕΒΑΣΤΗ}$ . Neque sicco, ut ajunt, pede prætereundæ essent tot aræ  $\text{CONSECRATIONIS}$  lemmate superbientes. g) Quibus adjungendæ etiam essent aræ, quæ a *Seldeno* h) ab Athenis omnibus Europæ, Asiæ, & Diis & Deabus positæ memorantur. Sed solum Fortunæ Muliebris templum & Pudicitæ Plebejæ ara apud Romanos nobis sufficient, unde Heroïnarum cultus per templa & aras susceptus illustretur. Ut enim *Plutarchus* i) Fortunæ Virili ab Anco Martio, Rege Romæ, templum dicatum

nar-  
a) *Spanh. de G. U. P. N. Diss. VII. p. 606.* b) *l. c.* c) *Ill. Dn. a Lob. Arm. T. I. L. IV. p. 343.* d) *Just. L. XVIII. VI. 7. L. I. II. 1. L. II. VI. 14. L. XVII. I. 4.* e) *loco sæpius laudato Diss. VII. p. 616. sqq.* f) *l. alleg. §. 17.* g) *Spanh. l. c. p. 617.* h) *de DIs Syris p. 64. Proleg.* i) *Lib. de fortitud. Rom.*